

confirmata ubi deprehenderit, à veritate oculis acquisita propriis, principiisque Astronomiæ & continuatæ praxi amicè respondente, auctoritate quacunq̃ue dimoveri se patiat̃ur neutiquam.

Ardor, qui me à prima juventute in contemplationes coelitus alucentium DEI operum, visibilium rerum omnium maximarum, & Gloriam Conditoris Optimi Maximi ab excelsis indefinenter prædicantium, Ejusdemque luculenter inde emicantis Omnipotentis & Sapientis ineffabilis admirationem, sponte Numinis, absque adjumento alieno & frustra vetantibus obstaculis, impulerat venerabundum; (b) prima illa, in perlustrationem istorum accuratiorem, requisita elementa, etiam Geographis profutura; veriores nempe urbis patriæ Latitudinem Longitudinemque, Poli & Æquatoris elevationes, obliquitatem Eclipticæ, nostræque regioni imminentis auræ refractivæ constitutionem mediam, plerisque observationibus, pro correctione radii incidentis convenientiùs applicandam aliaque (c) ex ipso cœlo, missis gnomone & regulis ptolemaicis aliisque in tentamina primitiva, adhibitis, tandem organis convenientioribus idoneèque apparatus eruere: ipsa etiam heic Norinbergæ (ubi tertio abhinc seculo, sub Meridiano eodem, Civis eximius, BERNHARDUS WALTHER, jucunditate cœlestium itidem ductus, suadente magno Astronomiæ instauratore REGIOMONTANO ibi tum præsentē, tot observationes Solis, astrorum etiam reliquorum, præ vetustis non tantum rudioribus, sed etiam distantia Meridianorum & temporum non ubique satis certis, instituit accuratiores, eoque ipso Astronomiæ, qua modò fruimur, longè puriori, fundamente jecit, nunquam satis dignè æstimanda) obtenta in usum Astronomorum præsentium & posteriorum, pro tutiore mododictarum nostratium antiquarum applicatione, viginti amplius ante annos sub titulo *Basos Uranies Noricæ Astronomico-Geographice* in publicum emittere jussit: quæ etiam posthac collectarum mihi observationum plurimarum suffragiis firmata & ritè attemperata paucioribus abhinc annis, opusculis (ne longè quærenda essent) huic subjungendis, stabilivi. Restabat, ut, (quoniam Astronomiam universam excolendi, neque vires neque otium, adversitatibus sæpius interrupto diuturnis iisque immeritissimis sufficiebant) quas antehac pollicitus eram, elaboratas mihi *Motûs annui rationes* ex meris Norinbergæ observatis, adeoque nullis, differentis Meridianorum vel Chronologiæ tricis, obno-

xiiis,

Seneca, de Otio Sapientis 31.

(b) Respublica magna & verè publica est, qua dii & homines continentur, in qua non ad hunc angulum respicimus aut ad illum, sed terminos civitatis nostræ cum SOLE metimur. hæc qui contemplatur, quid DEO præstat? Ne tanta ejus Opera sine teste sint.

Tycho. Epist. pag. 101.

(c) Non decet in iis, quæ sensibus exponuntur & mechanicè adhibitâ competenti diligentia per- vestigari, indeque per geometricam certitudinem in numeros resolvi queunt, aliorum inventis contentos esse, nisi per propriam & minimè dubiam experientiam eadem comprobata fuerint. Et Rothmannus p. 120. Tantum de ejusmodi sublimibus & tam procul à nobis distitis rebus scimus ac intelligimus, quantum per doctrinam triangulorum & mathematicas demonstrationes invenimus, sine his qui de ejusmodi rebus disserit, vanissimus est, prorsusque deliret.